

CLIX.

Anno 1498. In Vigilia festi s. Corporis Christi. Budae.

Vladislaus Rex antiquam consuetudinem Regni Slavoniae, ut Prothonotarius Regni tempore depositionis ab officio cuiuslibet Bani ejusdem Sigillum in medium SS. & OO. afferre teneatur, confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus et alterius cuiusvis status et condicionis possessionis hominibus Regni nostri Sclauonie salutem et gratiam. Ex querelis et supplicationibus nunciorum vestrorum, nominibus et in personis Vniuersitatis vestre nobis porrectis intelleximus, qualiter vos a diuturnis temporibus introducta et vsque ad hec tempora obseruata consuetudine, et quidem tali semper vni fuissetis: Quod Prothonotarius vester tempore deposicionis ab officio cuiuslibet Bani vestri, sigillum authenticum in medium vestri afferre teneretur, et tandem illud pro euitanda, tollendaque quauis suspicione, que exinde posset euenire, in partes secaretis. Quam quidem consuetudinem tametsi Prothonotarii vestri pro tempore existentes semper obseruauerunt. Tamen Egregius condam Magister Johannes de Korothona Palatinalis, et illius Regni nostri Prothonotarius, post ablationem a fidele nostro Magnifico Ladislao de Kanysa pridem Bano vestro factam, sigillum ipsius authenticum more alias consueto vestri in medium non attulisset, sed illud apud se vsque ad mortem suam reseruasset, nec sciri posset, quo deuentum exstisset. Qua ex re suspicaremur aliquam falsitatem posse medio tempore in emanacione litterarum fieri, que in periclitacionem Iurium vestrorum vergeret. Supplicatum itaque exstitit Maiestati nostre in personis Vniuersitatis vestre, vt huic sollicitudini, simulque suspicioni vestre opportune providere dignaremur. Accepta igitur et admissa supplicatione vestra, volumus et mandamus fidelitati vestre serie presencium firmiter, vt acceptis presentibus, vniuersas litteras priuilegiales sub preattacto sigillo iam fati Ladislai de Kanysa Bani emanatas, ad octauas primitus in illo Regno nostro Sclauonie celebrandas afferatis, atque per Magistrum Prothonotarium vel Viceprothonotarium vestrum in margine ipsarum litterarum casum et ammissionem sigilli preattacti subscribi facientes, penes sigillum ipsius Ladislai de Kanysa sigillum quoque fidelis nostri Magnifici Georgii de eadem Kanysa moderni Bani vestri in signum vere et iuste emanacionis ipsarum litterarum presentandarum appendi faciatis. Si qui vero essent ex vobis, qui a presentacione huiusmodi litterarum suarum se abstraxerint, et eas